

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



- I. Eximium Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti consecratum à M. Zacharia Wemmergero.
- II. causarum conjectio, quibus moti Status Regni Bohemæ ad Novi Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. ~~Summa~~ Summa ad Christianum Danicæ Regem Fran. Angelii.
- V. Soteria Academiae Witebergenfis Johanni Georgio Electori Sax. soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini M. Mæsi Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur. & Eodem.
- VIII. De vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdtsiani.
- IX. Narratio Uborum de Johanni Georgio Principi Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitidonia Henrici Francofurtani D. Cyriaci Herdtsiani.
- XI. Casparis Vernani Evergetæ Christianus de Vita et Morte Georgii à Schönauich.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Dreyemii.
- XIII. De Aeris salubritate et Studiorum Commoditate in valle Joachim. ead. Eisdem.
- XIV. De Erastione, Utrum Literarum Cultoribus sit peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottonie M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De Vita et Morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Everhardi inchoato funere sublata.
- XVIII. Programmæ Publicæ Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdtsiani.
- XX. De Ratione Status et Prudentiâ Regnatricæ Martini Milagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianii de Schließen.
- XXIII. Exequiis Solemnes Johanni Christophori Herdtsiani.

VX. 18

DISCURSUS
POLITICUS

De
RATIONE STATUS

Seu
REGNATIVA PRUDENTIA,

In
Illustri Soraborum Gymnasio,
Permissu Superiorum

recitatus

a

MARTINO MILAGIO
Misnico J. U. C.

d. 11. Maji

ANNO CHRISTI

1624.

Tacit. lib. 14. annal.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod cō-
tra singulos publica utilitate rependitur.

SERVESTÆ

Impressus per Zachariam Dörfferum.
M. DC. XXIV.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section.

Faint, illegible text in the middle section, possibly names or titles.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text just above the stamp.



Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Illustrissimis & Celsissimis
Principibus ac Dominis,

DN. CHRISTIANO,
DN. AUGUSTO,
DN. LUDOVICO,
DN. JOHANNI-CASIMIRO,

*Principibus Anhaltinis, Comitibus
Ascania, Dominis Serveste
& Bernburgi &c.*

Dominis suis Clementissimis.

Magnam hodie onus sustinent, Il-
lustrissimi & Celsissimi Princi-
pes, Domini Clementissimi, qui
claris insignibus velut infulis
velati, ad quævis vitæ ac famæ pericula desti-
nantur. In eam siquidem ætatem incidimus,
quæ non causas & merita distinguit, sed in
summa fortuna id censet æquius, quod est va-
lidius. Regna, Principatus, Respublicas, ci-

A 2

vita-

vitates nuperrimus Martis furor sine discrimi-
mine in discrimen traxit. Adcò ut hodie voti
sui compos fieri posset Caligula, qui olim è publi-
cis calamitatibus claritudinem exspectabat.
Adcedit vilissimi sanguinis insania, quæ subli-
mem Principum majestatem non scripto vene-
ratur amplius, sed desideria sua per seditiones
explicat & turbas. Quæ in secreta Principum
violenter inruit, cuncta ad suum genium exa-
minat, non Lydium prudentiæ politicæ lapi-
dem. Quòd si Princeps publicam salutem po-
tiori loco habuerit, quàm privatorum cupidi-
tates, in querelas resolvitur & miras. Ita
nostris moribus lingua mentisq; libertas in
turpem licentiam & temeritatem degenera-
vit! Hæc & alia si quis penitus inspexerit,
deprehendet tandem, fasces, prætextam, pur-
puram funeris aut saltem molestiarum esse
pompan. Aulas ad speciem hilaritatis compo-
sitas imitari nundinas, ubi homines laboriosissi-
mum negociationis genus exercet. Ut non abs-
re Antigonus Macedo ad diadematis conspe-
ctum

Etum exclamaverit: O nobilem magis quam
felicem pannum!

Excelsi tamen spiritus huiusmodi pericu-
lis non succumbunt, sed potius ingruenti malo
subsidium circumspiciunt. Neque enim decorum
Principi, omittere in omnia regimen, si una al-
terave civitas turbet, vel plebs licentia lasci-
viat. Torpedo hac Vitellium decet, qui ipse ob-
liturus erat potestatis, dummodo ceteri non
meminissent, eum fuisse Principem. Subsidium
autem illud conscientie tranquillitas potissi-
mum offert, & prudentie regnativae neces-
sitas. Cui quoniam nulla cum vulgo interce-
dit familiaritas, sepius sinistra interpretatio-
ne ad Indos ablegatur & Sauromatas. Nec in
cathedris publicis aliquis illi locus, nisi precari-
us & multa cum limitatione. Et forte an non
sine causa intra aulas se coërcuit, ne in publicum
prodirent arcana rerump. mysteria.

Ego tamen recentium juxta ac veterum
curiosus, dum Taciti in hærebam annalibus,
è longinquo venerabar ejus vestigia. Que

A 3 exerto

exerto digito C. Cassius monstrabat, & illum
secutus CL. Herdesianus. Ac licet ad forensem
strepitum non ita pridem me invitum rapue-
rit annona incendium, nihilominus ad oracu-
la eius divertit aliquoties, sed pede minus libero.
Ad Gymnasium vestrum, Illustrissimi Prin-
cipes, provoco, cui nuper prudentia istius scele-
ton exposui, rudi penicillo delineatum. Nec
aliud à tenuitate mea, temporis angustia & se-
verioribus studiis impetrare poteram. In eam
etenim sortem damnatus haereo, quae de corpo-
ris potius, quam animi pabulis jubetur esse soli-
cita. Ut non frustra ad Catonum nonnullor-
um vultum expallescam, qui frontem in me
desiderabunt. Nam summis Principibus im-
maturum crudi ingenii fetum obtrudere, ha-
bebunt in turpissimis. Verum sub vestra Cle-
mentiae umbone, Principes Celsissimi, securus
delitescam adversus hunc rigorem. Hæc Ger-
manias, Gallias, cæterosq; mundi angulos per-
vagata, nondum invenit terminum, ubi recon-
deretur.

Ad

Ad hanc me provolvo supplicem, Et ne de cul-
mine sublimitatis sue chartam hanc adspere-
tur, pronus in terram oro. Faxit Supremum
Numen, ut omnem Anhaltinatum eterna pax
felicitet, Vos Heroes Celsissimos à tumuli in-
juria gloria vindicet, Vestraq; Generosissi-
ma soboles in familie sue majestatem adsur-
gat felicissimè. Sic omnes Vestram, Principes
Clementissimi, adorabunt purpuram, quo-
rum classi ut ego quoq; transcribar, V.V.V.V.
C.C.C.C. supplex veneror. Valetè Princi-
pes Illustrissimi, Augusto feliciores, Trajano
meliores, Deo, Imperio, patriæ carissimi.
Dab. Serueste 30. Maji Anno à reparata sa-
lute 1624.

V.V.V.V.C.C.C.C.

humilimus servus

Martinus Milagius.

Ad



Uemadmodum plerasque
magistratum partes petulans vul-
gi curiositas invasit, Viri Reveren-
da dignitate, Gravi Auctoritate,
Excellenti eruditione, egregia
prudencia, doctrina & humanita-
te Clarissimi, Præstantissimi, Tuq;
optima humani generis pars, Gym-

nasii, Ecclesiæ, Reipub. flos, spes ac robur, quemadmo-
dum inquam plerasque magistratum partes petulans
vulgi curiositas invasit, ita & censuram *regendis moribus dili-*
gentem ac severam normam a sibi penè fecit propriam. Quo-
tusquisque enim est, qui non iudicii licentia abreptus,
linguæ suæ virulentæ gladium in Principes maxime vi-
ros acuat ac stringat? Principes dico, *contra quos, teste Se-*
neca, b multa lux est, in quam omnium oculi sunt conversi. Quorum
infirmam prudentiam *alii ægris oculis introspiciunt;* *alii*
verò prorsus non advertunt, quantumvis superstitiosè
de ea solliciti. **ILLOS** *improbitate* non tinctos, sed be-
ne imbutos ita novimus, ut virtutes tanquam spuriam
sobolem cœlo suo ejiciant, in earumq; nomen vitia ad-
optent. Principi parco avaritia; liberali prodigali-
tas; magnifico superbia obtruditur. Interim temeri-
tatem pro fortitudine colunt, superbiam erectæ viri-
lisque indolis titulis admiscunt, transitq; foedæ molliti-
ei ingenium in humanitatis & clementiæ colores. Ita
scilicet ima summis, & summa imis vertuntur, quando
vulgi arbitrio aut standum est, aut cadendum. Hos verò

a Lib. dec. 7.
lib. 1. Censores
hodie plurimi,
quorum alii

b lib. 1 de clem.
Improbi
alii imperiti.

igno-

ignorantia nebula aded suis tenebris involvit, ut ad so-
lem meridianum caligent, nec onera rerumpubli-
carum oculis suis adsequantur. Interea sibi ipsis pri-
vatis majores videntur, ac proprio consensu imperio
dignissimi. *Est sane arduum & fortune subjectum cuncta regen-*
di onus: neq; omnium mentes tanta molis sunt capaces. a *Adeo ut Tac. lib. 1.*
excellentibus quoque ingeniis citius ars defuerit, qua civem regant, *ann.*
quam qua hostem superent. b *Illic cum bestia multorum ca-* *b Lib. dec. 1.*
pitum: hic cum uno depugnandum est. Hostis aper- *lib. 2.*
ta arma circumfert, aperta profitetur odia. Cives
per subdola ac obscura, coque inevitabilia res novas
moliuntur. Quod si non omnium libidini feceris sa-
tis, protinus hoc in crimen trahunt. Omnium ora Fa-
bricios crepat, qui difficilio a justitia orbita, quam sol a suo cursu,
dimoveantur. c *Verum, sancti Censores, si diis placet,* *c Flor. lib. 1.*
suspendite paulisper nigrum calculum, & limina tan- *c. 18.*
tum prudentiae politicae mecum ingredimini. Coer-
cete primum domum vestram, postea demum idonei
provinciae regundae Praesides prodituri. Non potest
in tanta ad dissentiendum facilitate omnibus idem
sapere: & quandoque boni publici potior habenda est ra-
tio, quam equi aut privati usus. *Habet tunc aliquid*
ex iniquo omne magnum exemplum, sed quod
contra singulos publica utilitate rependitur. d *d Tac. 14. ann.*
Haec est illa nubes, quam hebetudo oculorum vestro-
rum penetrare nequit. Hic est ille lapis, ad quem
saepius, imò semper impingit plebs imperita. Qui
inter sinceriores Politicos familiam ducunt, hunc gu-
bernandi modam *Rationem status, regnativam*
item prudentiam appellant. Quae nec pacis, nec
B belli

belli iuribus per omnia servit, sed interdum aliquid
addit, interdum derogat. Singula enim non è pri-
vatorum commodo, sed publico bono metitur, non
circa unius membri, sed totius corporis salutem pra-
cipue occupata. Quam ut inter tot morborum peri-
cula procurer sedulo, interdum à justitiæ tramite di-
vertit, sed invita. Et sicut alias majori in minorem
competit potestas, ita & hîc lex inferior cedit supe-
riori. Digna Plutarcho vox est: *Necessitate quadam pro-
ba sapienti viro in parvis à justitia abeundum esse, qui in magnis eam
salvare cupiat.* Hanc itaque veram & Lesbianam rerum-
pub. esse regulam, intra cancellos tamen suos cohi-
bitam, breviter absque verborum furo, per discursum
adstruere conabor. Ingenuè quidem fateor, apicem
hunc aulico politicum Diis tantum majorum
gentium esse proprium, & ejus altitudinis, quò inge-
nii judicii que mei imbecillitas eniti non possit. Pro-
pitias tamen aures ut impetret mea discendi cupidi-
tas, nec Scholæ Machiavellicæ discipulus ilicò audi-
am, si quid minùs expectationi vestræ respondeat, à
vobis, Auditores eminentissimi, precibus, quibus
debeo & possum, contendo maximis.

Status vocabulum etsi aliis quoque ordinibus,
Ecclesiastico scilicet & Oeconomico familiare est,
communis tamen Politicorum & Lectorum usus so-
li reipublicæ propius addixit. Cui erigenda fun-
dameta molitur; *vultura* fulera substituit; *anguste*
fines prorogat *regnativa* hac prudentia. Fun-
damentum rerum pub. leges esse accepimus, quæ illis
instaurandis formam ac normam delineant. Qui-
bus individua quidem comes ratio præstò est; sed non
item

*Ratie status
rempub. intro-
ducit; conser-
vat; ampliat.*

Fundamenta.

item equitas. Harum classi recte illas adscripseris,
quibus quis ad imperii fastigium vel evehitur, vel à
scepbris ad ferulas detruditur. Rerum gubernacula
vel *successionis* ordo defert, vel *Electiois* suffra-
gium. Uterque modus & iusta ratione & antiquita-
tis privilegio nritur, ita tamen, ut aliqua adhaereat
iniquitas. Neque enim noc ad iustitiæ lapidem Ly-
dium convenit, si primo genitus solus in Anglia, Gal-
lia, Hispania purpura & fascibus emineat, fratre vix
in procerum ordinem admisso. Et inæqualitatis argui-
tur aureæ bullæ dispositio, quæ maximo natu Electora-
tum, cæteris exiguam ditionum partem pollicetur.
Nunquid æquitas limites transcendit is, qui in di-
versam sortem damnat eos, quos natura constituerat
in æquo? Illos non idem capere regnum, quos unum
ceperat uteri hospitium? Hæc & alia cruda apparent,
nec sunt ad vulgi palatum. Hæc stomachum mo-
vent, ac ad indignationem vocant inermem plebem.
Verum vetus verbum est, nec tædas, nec regnum so-
cium ferre posse. *Insociabile quippe regnum est, quodq; impe-*
rium sub uno stare potuisset, dum a pluribus sustinetur, ruit. Unde
ille canit:

*Nulla fides regni sociis, omniq; potestas
Impatiens consortu erit: nec gentibus ullis*

Credite, nec longe fatorum exempla petantur,

Frateris primi maduerunt sanguine muri.

Et quemadmodum duos soles non fert cœlum: ita nec
duos summos principes potentior res publica. *Servi*
endum est, ut Taciti verbis utar, duobus, qui interim republi-
cam premant, quandoque destruant: b) Præterea sicut flumen
in plures rivulos dissipatum, moles navigiorum non
admitit, ita nec concubus gerendis bellicis par est pro-

B

vincia,

A. B. cap. 24.

a Curt. lib. 10.

Alexander M.
ad Varrum.

b 1. ann.

vicia, quæ perperis moribus exposita, in multas
partes dirimitur. Hoc ergo publicæ utilitatis lucrum
juri quoque naturali discrimen inter liberos extorsit.
Ita splendori familiæ nulla obfunditur obscuritas, nec
inciduntur imperiorum nervi. Adeoque non obe-
sæ naris fuit ille, qui morti vicinus speculorum fasci-
culo arctius colligato regnorum immortalitatem ad-
umbravit, laxius verò soluto eorundem mortem æ-
ruinam. Regnorum scilicet exoticorum, quibus
majoræ mulandi cura, amplior invidia materies. Ali-
ud de pacatoribus Germanorum animis dixerim,
quorum vota non ita facile disjungit Principatum
divisio.

A masculorum discrimine ad *Sexu præminentiam*
digredior, quæ & ipsa nonnulorum animos exul-
cerat, tanquam injusta. Nam faminarum mani-
bus sceptrâ eripere, id verò nefas ducunt & juri
naturali adversum. Non ex ima fece ejusmodi
Censores prodeunt, sed è primis etiam subsellis. Iusti-
nianum consulamus, Vandalorum, Gothorum, Persa-
rum victorem magnificentum, juris præterea religio-
simum. *Maximum vitium est, inquit, aliud in masculis servare, ali-
ud in feminis. Qui n. tales differentias introducunt, quasi natura ac-
cusatores existunt, cur non totos masculos generavit, ut unde genera-
tur, non fiant? Sunt tamen, qui virtutem ipse cimina in
sexu sequiori desiderant. In verò mulieres, quæ viri-
lib. curis faminarum vitia exuerunt. Quas urbes Semi-
ramis condidit? quas gentes redegit in potestatem? quæ opera molita est?
Ipsemet Alexander, si effato ejus standum, necdum fa-
minam æquavit gloria. Sæpius apud illas majus fuit libera-
tis pretium, quàm apud viros. Ardente jam Carthagi-
ne, Asdrubal se & exercitum a burnio hec suspenitit.*

*l. 4. C. de lib.
grator.*

3 Curt. lib. 9.

Quas

Quanto fortius femina & uxor ducis, quae comprehensis duobus liberis
a culmine domus se in medium praecipitavit incendium? a Masculum ^{o Flor. lib. 2. c.}
animum spirant Boudiceae Britannicae verba: Vincendum ^{15.}
illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum, viverent viri & servi
rent. b Novimus, acies iam inclinatas & labentes a feminis resti- ^{b Tac. 14. ann.}
tutas constantia precam & objectu pectorum. c Nondum eluxit ^{c Tac. de mo-}
Hispania classem illam, ad cuius pondus ipse Ocea- ^{rib. Germa.}
nus ingemuit, non ab Archimede aliquo Syracusano,
sed muliere Anglicana disiectam. Et si foeminis pro-
fus excelsos negayeris spiritus, bone Deus, quanta li-
tura heroum catalago erit inducenda? Sed cordatio-
rem Politicum haec non movent, ut foeminarum fasti-
gium a quo animo ferat, lege Salica prorsus explosa
Senecam adeamus. Is Agrippinae malis dominandi
cupidi atque flagranti sic obviabat, ut parricidii quoque
Neroniani adverso rumore ferretur auctor. d Videtur ^{d Tac. 14. ann.}
equidem iniquum, ita mulierum honores moderari,
infingere earundem potentiam. Sed publica utili-
tate hoc rependitur, quae ignominiam aliaque gynaco-
cacia mala antevertit. Neque enim imperare tantum, sed &
aequari feminae viris turpe est. e Et illi a libertate simul ac ^{e Diom. lib. 5. c.}
servitute degenerant, qui muliebria vestigia adorant.
Imbecillis insuper hic sexus est, impar laboribus, & si licentia adsit,
ambitiosus. f Mutationibus perpetuis obnoxius, ac in cru- ^{f Tac. 3. ann.}
delitatem non obscure propensus. Stat proinde semel
lata sententia, ut viri sceptris, mulieres vero lanam ma-
num admoveant.

Qui Principatus fortunam suffragio debent, sa-
pius huius *Rationis* adminiculo prima sui regni li-
mina ineunt. Quid quaeo magis a justitia abhorret,
quam a multis in designando Principe expectare

a Tac. lib. 1
hist.

b Tac. 1. ann.

c Lib. dec. 1.
lib. 3.

d Tac. 2. hist.

e Curt. lib. 10.

calculum? Quibus fides, pietas, leges non sunt sacrae,
illisne discrimen inter bonos malosq; erit, sacrum?
Annon recte Otho Imperator? Parendo potius, quam impe-
ria ducum sciscitando res militares continentur. a Pleriq; tamen
Imperatores militum favori fascces ferunt acceptas, no
publicae Senatus auctoritati. Scilicet quorum victoriis
augebatur respublica, in quorum cognomentum ad-
scisciebantur imperaturi, in illorum quoq; manu sita
erat res Romana. b Nec alium statum admittebat ur-
bis conditio discordis civitibus sita, continuis in su-
per hostium eruptionibus fatigata, nimmi suproisim
Germani nostri feliciori imperio vivunt, quod
non caligantium militum turbis, sed suavi serenissi-
morum Principum conspiratione ad digniorem solet
devolui. Ad septem autem viros redactum esse illum
ordinem, nondum omnibus imperitis adridet. Nam
qui eadem familiarum luce coruscant, qui eadem susti-
nent onera ac pericula, cur non iisdem potiuntur pra-
miis & funguntur officii? Plus pollere multorum ingenia consi-
liis, quam septem. c Minuenda potius libertati & coi-
cordiae esse illa Principum discrimina, quam ut splen-
dorem imperio concilient, aut robur. Sed hi veter-
rum modo documenta intueantur illustriori loco pos-
ita. Ibi facta inceptu, facta exitu multorum in diver-
sas partes euntium consilia deprehendent. Frequenti-
or etenim inter plures dissensus ignem excitat, in rei-
publicae perniciem mox erupturum. Tunc non patria adiri,
nec avira loca videntur aut sedes: tanquam externa litora & urbes
hostium urere, vastare, rapere: eo atrocius, quod nihil usquam provisum
adversum subitaneos metus ac motus. d Unde non ignarus futu-
ri periculi Alexander praevidebat, distensum proce-
rum magnos funebres ludos sibi paraturum. e Quod si
anti-

antiquitati, tanquam testi nimis remoto fidem derogas, ad vicinos Polonos excurramus, cladibus ex istiusmodi discordiis natis ferè exhaustos. Maximiliani Archiducis captivitatem, Sarmatarum stragem, infelix Silesiorum prope Bethaniã prælium ^a, plurimum senatorum dissidium prodigioso partu edidit. Ea itaque suffragiorum conditio est, ut eligendi ratio aliter constare non possit, quam si paucis reddatur.

In *ejurando* Principe ut majus subest periculum majorque imminet calamitas, ita pressius insistendum fuerit huic Rationi status. Senecæ oraculum est, quòd nulla pinguior Deo mactari possit victima, quam rex iniquus. ^b Et ^c *castro* digniores sunt quam sceptro, quibus procedentibus, tanquam malam aliquod animalis cubili prosiliat, cives diffugiunt. ^e Quis illorum verebitur purpuram, qui rapinæ coercionem nati & dati, ipsemet rapto vivunt? Qui immanitatem Caligulae, Neronis impudentiam, Commodi libidines, Heliogobali luxum, extremam Gallieni segnitiam suis flagitiis obliterant. ^b Nullus dubito, quin eadem cum Maximini percussoribus nostræ plebi mens ac vox sit ingenita: ex pessimo genere nec cultulum habendam. ^d Verum aliud jubet nostra *status ratio*, cui optare bonos principes quidem pietas est, damnare verò etiam nocentes religio. ^e Bonos Imperatores voto expetere docet, qualescunq; tolerare. ^e Placet facunda & sapiens Cerialis ad Treveros ac Lingonas oratio. Quomodo sterilitatem aut nimios imbres & cetera nature mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. ^e Vicia erunt, donec homines, sed neque hæc continua: & meliorum interventu pensantur. ^f Quod si aliqui nondum subodorantur hujus prudentiæ vim & fructus suavitatem, illis Claudium listam, nequaquam hic mente claudum.

1. dil. 227 a
27. Decemb.
1587.

bin Herc. fur.

c Sen. 1. de
clem. 3.

d Aurel. Vib.
in Maximin.

e Tac. 4. hist.

f Tac. ibid.

a Tac. 12, 477.
dum. Parthos Meherdatem ad diademata vocantes
monet, *Ferenda esse regum ingenia neque usui crebras mutationes a.*
Cibus enim varius corpori infestus est, quidni & rei-
publicæ frequens Principum mutatio? At tyrannus
impunè civium bonis manus rapaces infert: torosa-
dulteriis polluit: in virgines stupris, in bonos cædi-
bus sævit. Ita quidem est. Ingruit bestia illa privatis,
sed proximis tantum; paucis, non universis. Gemitum
ad tanta facinora ut contineas vix licet, nisi & lacru-
mis sua pena; manum tamen & gladium decet, imò
oportet. Nam sicut ingens saxum ædibus vi exen-
tum, ingentem ruinam secum trahit: ita & tyrannus
solio suo exturbatus. Ipsemet omnes suæ potentia
copias explicabit, ad quævis crudelitatis genera prom-
tas. Alii quoque in arma ruent, *orientem pellendi reges mo-*
b Lib. dec. 1. l. 20 rem haud multum relicturi b. Sulpicabuntur finem regnis
adesse, rei inter deos hominesque pulcherrimæ. Ac
licet tyrannum ab ima stirpe excideris, alius tamen
ut in locum, ita & ulciscendi studium subrogabitur.
Quem admodum enim pessimis Imperatoribus sine fine dominatio ita eti-
am optimis modus libertatis placet. Tarquinius superbia in-
c Tac. 4. hist. 2 signitior quot non vulnera agris Romanis inflixit?
Quanto labore ac periculo majoribus nostris stetit
violentus Adolphi Nassovici casus? Quantum sangui-
nis hausit Hispanorum gladius ad reperendum avitum
Belgium elatus? Et quid aliunde exempla mutuor? Quæ
hodie præter oculos eunt, instar omnium esse possunt.
Facilius ergo duri Principis sævitia; in paucos tolera-
tur, quam contra omnes exquisita crudelitas, & cun-
ctis nocendi ardor.

Fundamenta hætenus reipublicæ jecimus, paucis
hinc inde ad usum nostrum primis tantum digitis ex-
cerptis.

cerptis. Felicior documentorum seges in illo campo
luxuriat, qui *conservationi* rerumpub est destina-
tus. Hic leges; Principum salus ac perpetuas; civi- ^{Modi conser-}
um numerus; reipublicæ ærarium recta rationis lance ^{bandi rempubæ}
sunt expendenda. Legibus principatum defero,
mecumque omnes, qui non vacui sunt capitis. Nam
veluti corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege sui partibus uti
nequit. a Harum legum rationem animam esse ajunt, ^{a Cic. pro Clu-}
quia sublata vigor omnis & virtus exspiret. Quod ego ^{ent.}
nequaquam dixerim perpetuum, utpote *cum melius aga-* ^{Leges inique}
tur cum ea civitate, quæ malis legibus constanter utitur, quàm quæ in ^{toleranda.}
di. in novas quantumlibet honestas parturit. b *Unam quippe legem* ^{b Thucyd.}
mutando, ceteras infirmamus: c *ac eadem spongia constitu-* ^{c Lib. dec. 4.}
tionis & magistratus auctoritatem delet. Præterea ^{lib. 4.}
sunt difficile est, annosas arbores loco suo revellere: ita rempublicam
sui adfuetam institutis alio traducere non licet, quim maximi succe-
dant motus. d *Consuetudo etenim natura potentior est: e & vetustior* ^{d Plut arch.}
mos omnium rerum tyrannus. f *Non itaque frustra est J.C. in* ^{e Curt. lib. 5.}
l. 2. D. de const. princ. In rebus novis, inquit, constituendis evi- ^{f Herod. lib. 3.}
dens utilitas esse debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum
fuit. Cum quo & Plato transit: *Veluti enim deliri parentis, ita*
& senescentis reipublicæ vitia ferre decet, ne intempestivi remediis exa-
cerbata cancerorum instar serpent. Hinc callidissimus Tiberius
ducebat satius, *omittere prevalida & adulta vitia, quàm hoc adse-*
qui, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essent g *Et hæc sta-* ^{g Tac. 4. ann.}
tus ratio Locrensis quoque innotuit, apud quos ci-
tra gulæ periculum legem sancire non licuit. Legem
rogaturus in forum prodibat, collo funi subjecto, ut
ejus repudium faucibus elisis lueret. Corruptæ ita-
que reipublicæ nota erit, *si non tam flagitiis, quàm legibus la-*
boretur. b ^{b Tac. 4. ann.}

Certior ruituri Principatus prodromus est, si vel
C Prin-

Principis caput periclitetur, vel ejusdem orbitas pravam aliorum cupiditatem prouidet. Rationem ioco status consultum ibimus, egregium subsidium utrique malo paraturam. Et quoniam magistratui non tantum improborum **SCELERA**, sed & proborum **VIRTUS** est suspecta, utrique in tempore occurrere didicit. Ut nimirum insidias asperiori ultione evitet; nimiae autem virtutis suspicionem leniori poena (si modo poena est,) declinet.

*Lex majestatis
ratione status
nititur.*

*al. 7. C. ad L.
Jul. majest.
l. 22. Cod. de
pen.*

Unde non usque adeo impia videtur Lex Majestatis, quae rigore suo etiam perduellium liberos corripit, nihil tale meritos. Inhorui aliquoties ad Arcadii & Honorii verba. *Sint postremo, ajunt, liberi tales; quibus perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.* Ita ne poena suos tantummodo constringit autores? Quae illa justitia, quae ignaros, invitos in criminis ac supplicii societatem rapit? Rectene filius iniquitatem patris hinc, & hic filii delictum suo sanguine tollit? Audivimus superiori tempore, publicum in Gallis paricidam quadrigis distractum, matrem vero rogo impositam. Multos hujus legis atrocitas adeo exasperavit, ut lituram illi decernerent, tanquam omnis humanitatis & rationis exforti. Videtur tamen aliquod momentum in **RATIONE STATUS** positum. *Habere nimirum aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos & publicam utilitate rependatur.* Non potest exito insidiatorum conflictibus salvus eluctari Princeps, nisi atrocitatem criminis gravitate supplicii pensaverit. Quem dignitas sua defendet? quem satellitum robur praestabiturum, si non vehementiori metu concusiantur ne favoriorum animi, cohibeantur manus? Frænis tamen coercenda est hæc severitas, ne eodem impetu in reos fera-

feratur & liberos innocentes. Illos vita; hos bonis
exuere & insula includere suffecerit, ne paterni cri-
minis metuantur succedanei.

Mior hic puniendi mos est, quam ille à C. Cassio
apud Tacitum in pleno senatu repetitus. Praefectum
urbis Pedanium secundum servus interfecerat, non
lux tantum, sed totius familiae sub eodem tecto mansi-
tantis calamitatis fax & autor. Ducebantur quadrin-
genti ad supplicium, etiam si innoxios plebis favor ad
seditionem usque protegeret. In senatu quoque e-
rant studia nimiam severitatem adspernantium, plu-
ribus nihil mirandum censentibus. Quid ad hæc
Cassius prisco Catoni similimus? *Suspecta*, inquit, *majo-*
ribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus
videm nascerentur, caritatemque domini statim acciperent. Post-
quam vero nationes in familiis habemus, quibus deversivus, externa
sacra aut nulla sunt, collusum istam non nisi metu coerceris. At qui-
dam insontes peribunt. Nam & suso exercitu, cum decimus quinque
fasto feritur, etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo o-
mnium magnam exemplum, quod contra singulos publica utilitate repen-
diturra. Hinc usque Cassius, cuius memoria Herdonii
Sabini inter initia urbis conatus non exciderat, cum
occupata tribunitiis seditionibus civitate, Capito-
lium invasisset furor servilis. *b* Obversabatur animo
clades à Syro & Athenione servis accepta, qui erga
stulis liberati, non nisi iustis iisque dubiis praeliis po-
tuerunt subigi. *c* Noverat, Scythas *d* & Volsinios *e* à
mancipiorum manipulis ejectos. Verum metus hic
cum ipso servorum squalore apud nos exsulat, proin-
de etiam triste illud supplicii genus. Sub hoc tamen
tegmine ratio status latet, delicti scilicet ac poenæ
proportionem Principi non esse perpetuam. Argu-
men-

itaque
vultu
mittit

Lib. C. 7. 1. 1.
Sul. maj. 1. 1.
Lib. C. 7. 1. 1.
1. 1.

a Tac. 14. 1. 1.

b Lib. dec. 1.
lib. 3.

c Flor. lib. 3. 6.
19.

d Herod. lib. 4.
e Flor. lib. 1. 1.
21.

mentum evidens praesens tempus oculis subjicit, quo
nec vitia nostra, nec remedia pati possumus. Stel-
lionum monetariorum fraudes non tantum aprico
soli exposuit, sed & poenis coercuit providens Princi-
pum cura. Monetam in integrum restituit, bonita-
te intrinseca & extrinseca revocata. Vulgus vero
antiquum tenet, ac instar calculorum numum argen-
teum hodie probat, quem cras ut aeneum exauctora-
bit. Quis ergo Principem crudelitatis arguet, si cau-
terio, fustibus, numellis, exilio hanc nequitiam, tan-
quam seditionum fomitem exceperit?

Revoco nunc pedem ad eos, qui in Principis
interitum adsurgunt, non per vim aut dolos, sed ma-
trimonii potentioris felicitatem. Equidem cum con-
nubium rempublicam ingenua prole facundet, ad
ejus leges praemiis potius provocandi fuerint cives,
quam ab iisdem retrahendi. Callidus tamen Tiberi-
us aliud flectit, Vipfaniae, Liviae, Agrippinae nova
vota adspersus. Hinc Asinius Gallus illi praedem invisus erat,

a Tac. 3. anni

*Potētia ma-
trimonia im-
probat Ratio
Status.*

*b Tac. 4. ann.
c. Tac. 4. ann.*

*d Tac. in vit.
Agric.*

*tanquam ducta in matrimonium Vipfania, Tiberii quondam uxore,
plusquam civilia agitaret. a Exstat ad Sejanum praepoten-
tem illum aulicum, Liviae amores ambientem ejus-
dem epistola. E alleris, scribit, Sejane, si te in eodem ordine
mansurum putas, & Liviam, quae C. Caesari, mox Druso nupta fuerat,
ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam,
credidne passuras, qui fratrem ejus, qui patrem majoresq, nostros in
summis imperiis videre? b Idem Agrippinae, faminae im-
penetrabili pudicitia, & novum post Germanicum ma-
ritum sollicitanti reluctatur, nihil praetensam solitu-
dinem moratus. Scilicet non ignarus erat, quantum de
republica peteretur. Astuta vulpes facile subolebat, ejus-
modi matrimonia ad majora nitenti decus ac robur addere, d & rebus*

NOVIS



novis moliendis esse aptissima. Nec suspicionem hanc destituit eventus. Sejanum sanè Livia, postquam pudicitiam prodegerat, ad conjugii spem, consortium regni & necem mariti impulerat. ^a Tullia Tarquinio Superbo nupta quibus non furis exagitavit maritum, ut foreo deciso, imperium rapere mallet, quam expectare? ^b Arduum scilicet est & humano ingenio superius, eodem loci potentiam esse & modestiam. Hæc ipsa causa Agrippinam Germanici filiam nullo exemplo incestis nuptiis in domum patris Claudii deduxit. Politica ratio à nuptiarum proxeneta Pallante adicitur. Ne femina experta fecunditatis, integra juventa, claritudinem Cesarum aliam in domum ferret. ^c

^a Tac. 4. ann.

^b Flor. 1. c. 8.

Illicita matrimonia probat ratio status.

^c Tac. 12. ann.

Ne itaque subito ad justitiæ tribunal provoces, & dicam Principibus scribas, si sublimiores spem matrimonii quandoque decidant, aut eadem illigati solum vertant, vel ipsi etiam Principes in vitis legibus ducant uxorem. Semper tamen his in casibus illud lecti repetendum velim: ^d *neque quisquam, neque ab omnibus.*

^d l. 6. § 3. D. de offic. procons.

Fortean hoc rectis virgula censoria alii notaverint, quod nimium virtutis exercitium Principi sit suspectum. Sic Tiberio nulla in Aruntium vetus ira: ^e sed divitem, promptum, artibus egregiis & pari fama publice suspectabat. Atqui Virtutis incitamentum, omnium consensu, præmium esse debet, ac honos instar uberrimi alimentum. ^f Olim enim ut quisque ad honestatis studium maxime esset incensus, ita promptissime veris suffragiis ad magistratum eVectus amulos vitæ omnes, neminem dignitatis accendit. ^g Apud majores, ait Tacitus, virtutis præmium id fuerat, cunctisq; civibus, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus. ^g Dignum siquidem credebant illum imperio,

^e Val. Max. lib. 2. c. 6.

^f Euph. in Sætyr. lib. 1.

^g Tac. 11. ann.



Virtutē quoque
penas indicit
ratio status.

Lib. dec. 1.

Lib. dec. 1.
lib. 10

Vol. Max. lib.

5.6.3

qui rationi subesse didicerat. Quī itaque Athenis ostracismus, Syraculis petalismus eos eiecit, quorum virtus nimium erat in conspicuo? Egregiam prudentiæ politicæ specimen utraque civitas exhibuit, æterna cedro dignum. Sicuti nebullicens sanguinis copia non vires, sed morbos corpori suffundit: ita rem publicam non semper sustinet, sed etiam adfligit egregii viri spectata virtus. Plerique cum largo in eum sint adfectu, ad imperium faustis ominibus illum vocant, ad omnes obsequiorum figuras promptissimi. Inde inter Procures invidia & dissensionum materies, publicarum cladum prænuntia. Hujus publici periculi, hujus publicæ invidiæ levamen honestu jure dixeris ostracismum. Honestum inquam, quod nec famam labe aliqua denigrat, sed illustrat; non malefici nota est, sed singularis in rem publicam benefici index. Ita Phæax, Nicias, Alcibiades auræ populari ad tempus se subducunt, de patrio potius, quam suo statu anxii. Sic Tarquinus Collatinus Romanæ libertatis vindex, consulatu se abdicat, rebusque Lavinium translatis, urbe cedit. Periculosum videbatur libertati regium nomen & genus. Absoluebat ergo beneficium, & civitatem exonerabat vano metu. Scipio Nasica publico consensu optimus in urbe, hanc ob causam sub legationis titulo Pergamum secedit. Scipio Major spontaneo exilio adfectati regni suspicionem declinat. Miron sapenumero, Neronis menti per libidines corruptæ tantum honesti fuisse reliquum, ut maluerit ostracismi legibus uti, quam imperio. Rabellus Platus omnium ore celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex familia Lulia. Ipse placita majorum colebat habitu severo, casta & secreta domo quantoque metu assultior, tanto plus fama adeptus. Unde eum quasi imperio destina-

turus

quum forebant multi, quibus nova & anticipata praecolere avida & ple-
rumque fallax ambitio est. Ergo permotus in Nero componit ad Plautum
litteras, consuleret sibi & turbis, seq; prave diffamantibus suberabe-
ret. Et ille quidem cum conjugis & paucis familiarium in Asiam con-
tesitas. Hæc aliaque cæsi primo intuitu apparent in-
justa, ad obrutam tamen boni publici examinata, ra-
tionis status exacte conveniunt. Ut frustra fuerit Va-
lerius Maximus, dum publicam dixit clementiam, si
maximas virtutes pæna exciperet, beneficia que in-
iuriis rependerentur. lib. 5. cap. 3.

Ad alterum descendit caput, in quo præcipuum
reipublicæ damnum vertitur, nimirum ad Principis
orbitatem. Hæc non tantum ipsi contemptum parit,
sed civibus etiam consuevit esse exitio. En Alexan-
dram conquerentem: *Orbitas mea, quod sine liberis sum, sperni-
tur.* Hinc D. Augustus, integra etiam domo sua, A-
grippa genitos in familiam Cesarum induxit, quo pluri-
bus munimentis insisteret. Hinc adoptio in Domitium
Neronem Pallantis autoritate festinabatur. Stimula-
bat enim Claudium, consuleret reipublicæ, Britannici pueritiam robo-
re circundaret. Sic apud D. Augustum, quanquam nepotibus subni-
xum viguisse privignos: a Tiberio super propriam stirpem Germanicum
adsumtum, se quoque accingeret juvene, partem curarum cape situro. a
Nec minus cives orbitas hæc in exitium trahit, quam
Principem in contemptum. Mmore se discrimine sumitur prin-
ceps, quam queritur. Et qui nuper gubernaculis sunt admoti, non
tam ad curas publicas, quam auream messem vocari
volunt, nepotibus suis regnum adornaturi. Inde novis
oneribus provinciæ turbantur, & largitionibus exhau-
ritur ærarium. Sicco pede transeo pravas aliorum spes,
quæ si non divellunt, saltem concutiunt reipublicæ
compagem. Hæc ergo status ratio divorcium Henrici

IV. Gal.

perp. f. 101
lib. 1. cap. 10
lib. 1. cap. 10

a Tac. 14. ann.

b Curt. lib. 6.

c Tac. 1. ann.

d Tac. 12. ann.

e Tac. 1. lib.

Improba di-
vorcia rationi
status sunt
proba.



IV. Galli & Margarethæ Valesiæ suasit, imò urfit. Nulla prole mascula regum torum fecundaverat, toro itaque exturbatur, Maria Medicea in spem meliorem adscita. Qui è Theologorum scholis prodeunt, nigro lapide notant istud divortium. Solam malitiam scilicet conjugis dirimere matrimoniorum vincula. Fecunditatis legem solum Deum dicere, nec esse in agricolarum arbitrio, ut laboribus opima mensis respondeat. Honesta prævaricatione & ipse in illorum irem sententiam, nisi necessitas legum auctoritatem respueret. Inclutum Lilligerum regnum nondum ex tot cladibus convaluerat, quas importaverat Henrici III. Valesii orbitas. Nondum Guisiorum cruentas machinationes, nondum Hispanorum crudelitatem oblivione dimiserat. Ideo, ut nocti, quam penè habuerat supremam, novum sidus illucesceret, exorbitare maluit Rex, quam orbis suo regno parentare. Certum siquidem est, nec legiones, nec classes perinde firma

Tab. 4. hist.

esse imperii munimenta, quam numerum liberorum, a

Deinde ad conservationem reipublicæ maxime hoc facit, ut civibus sic ampla; opibus locuples; annona dives; propugnaculis firma.

Raptum Sabinarum virginum defendit ratio status.

Ut novos subinde surculos senescenti stipiti substituant, ad matrimoniorum federa civitatem compellunt Principes. Cælibatui, rei aliàs divinæ, pœnas indicunt, conjugiiis verò præmia: Aliàs nequaquam invidiæ ac furori vicinorum par erit re publica. Qui intuitus raptui Sabinarum virginum egregiè patrocinatur. Transfugiant parentes in Cæniensium & Sabinorum castra, tantam injuriam ferro & igne ulturi. Stabit nihilominus à Romanis victoria, non tam manu, quam bono causæ titulo parta. *Imaginem enim urbis*

urbis magis, quam urbem fecerat Romulus, incola siquidem
masculi tantum aderant. Res erat unius ætatis, populus viro-
rum. Matrimonia itaque à finitimis petita, quia non impetrabantur,
manu capta sunt.

a Flor. 1. c. 22

Oportunè in Romuli ætatem incidimus, qui mul-
titudinis studiosus, asyla quoque aperuit non solum
injuriam passis, sed & facinorosis. Unde brevi in-
gens hominum colluvies in unum corpus coaluit,
quod postea beneficio severiorum legum viros dedit,
ipsa ferè justitia & fortitudine superiores. Modus ta-
men hic à scopo nostro paulò alienior, ipsi quoque
scripturæ sacræ vim manifestam infert. Neque n.
templorum subsidio ad flagitia utendum est, & san-
guis temerè fusus sanguine expiandus.

*Sub hoc præ-
textu Romulus
asyla apert
sceleratis*

Opibus locuples est respublica, quando non tam ipsi ci-
ves divitiis adfluunt, quam Principis ærarium. Quod
ut necessariis usibus subveniat, quotidie novas vires
illi ut sufficiat, est necessum. Unde Prudentiores Po-
litici varios sinus variaque conquirendi vocabula ad-
invenerunt. Non ita pridem quidam montem pie-
tatis introduxit; alius ollam fortunæ publicam. Mon-
tem pietatis vocant Politici, quando Princeps pecu-
niam civibus fænoris locat, ut usuras pendant licitis
paulò majores. Quas etsi alii severiori imperio pro-
sus rejiciant, alii justis terminis circumscribant, ta-
men & hos boni publici intuitu trāsillire poterūt. Gal-
li præposteris officiorum licitationibus ærarii sui licen-
tiam distendunt: nec virtuti ibidem locus, nisi opu-
lencia subnixæ. Velum quidem rationis status osten-
tant, sed velum tantum, non ipsam rationem. Quid
quæso salvi respub. ab iis expectet, qui fumos ven-
dunt, digni qui fumo pereant? Alexandri Severi sci-

*Ratio status
montem pietatis
introduxit.*

D

tum

rum probo: Non patiar mercatores potestatum: fieri enim nequit, ut
qui emit, non vendat. Quod forte ex Seneca hauserat: Provin-
cias, & numarium tribunal, audit a utring; licitatione addici, non
mirum: quando que emerit, vendere gentium jus est, lib. 1. de benef.
Cujus Imperatoris laudem hoc de predicavit Caumine

Ad p. 1. a

Schrivenius:

Rejicio licita-
tiones publi-
cas.

--- Nihil huic venale sub hasta est;

Premia dat solis fortibus; emtorabi;

Non nisi delectu legitur sanctissimus ordo;

Purpurag; Augusto displicet emta viro;

Nemo magistratum minus; hoc praeside; speret;

Cui sit vit a levit; sacculus ere gravia;

Non cauponantem patitur reguare senatum;

Nam quod emit iudex, vendere jure potest;

Invisum genus hoc, cane pejus & angue, Severe;

Qui rectig alem non sinit esse Themin;

Pro pudor! ah cur non hec displicet auctio Gallis?

Cur Vaticanus hec legit era pater?

Alexandro huic Justinianum nostrum succentur-
rio, juris acerrimum vindicem. Accipere suffragium, in-
quit, a iudicibus totius nequitia est principium & terminus. Avari-
tia omnium mater est malorum, maxime quando non privatorum, sed
iudicium inheret animabus, &c.

Nob. 8. in
Princ.

Ut proinde morbida reipublica indicium potius
fuerit, quam columen, si imperia sint divitiarum, non vito-
rum.

Defendit ture-
lam apud Bri-
tannos regia.

Plerisque non displicet mos Britannorum pa-
trius, quo Rex illustrium pupillorum curam ad se de-
volvit, & cum illa reditus. Congrua enim alimenta
tantum in pupillos erogat, cetera regis usibus inser-
viunt. Iniquo sane proximum est, ex alieno damno
spolia meditari & divitias. Et quod leges in pupillo-
rum favorem indulserunt, retorquere in eorundem
odium.

odium. Verum regni incolumitas hoc subsidio ni-
ritur, & cum alias subditi nullis oneribus fatigentur,
hoc more publicis necessitatibus rex medetur. Præsto
alioquin erit regni dissolutio, si fructibus nullis susti-
neatur. *Nec quies gentium sine armis; nec arma sine stipendiis; nec
stipendia sine redditibus haberi possunt.*

a Tac. 4. hist.

Et ratio naturalis dicitur, omnesque leges in hoc
conveniunt, meminem ad suarum rerum distractio-
nem vi compellendum. His audacter contradicit
prudencia politica, si fames ingruat, aut bellorum
metus. *Annonæ* consulere cum quovis modo liceat,
non tantum Dardanariis frumentum absque pretio
eripitur recte, sed & aliorum licitationibus limites
possunt designari. Qui etsi non frumento responde-
ant, satius tamen fuerit, unum affigi, quam omnes.
Ita quoniam præstat, cæmentis, lapide, vallo hostiles
insultus eludere, quam civium sanguine, ideò propugna-
culi aliorum agri, villa, prætoria destinariqueunt, parte
tantum pretii refusa. Quid quod & Vulcano sæpius
mancipanda veniant, ne hosti tutum præbeant re-
ceptaculum. *Habent ex iniquo aliquid hæc exempla, sed quod con-
trastat singulos publica utilitate rependitur.*

*Contractus faci-
cit necessitatis,
non voluntatis*

lib. 8. hist.

Hæreo mecum ipse, Auditores, utrum & Princi-
pum in cunis vagientium sponsalia huic fasciculo in-
volvere liceat. Aliquem saltem consensum in iis le-
ges desiderant, cuius ne vestigia quidem, aut certe le-
vissima in teneris infantibus conspexeris. Amor
quoque mutus, concordie vinculum, in cunabulis
non nascitur, rarius cum ætate adolescit. Unde tot
infaustos connubiorum exitus deploramus, tot novas
peccandi occasiones. Quod si verò federa & amici-
tias cõtemplemur, fortissima regnorum fulcra: iniqua

*Approbat spõ-
salia infantium.*



quidem erunt ejusmodi sponsalia, ob bonum tamen publicum rata ac firma.

*Auger rem-
publicam.*

Non autem conservat modò rempub. ab interitu hæc status ratio, sed & ejusdem incrementum urget. Hoc sicut è variis causis, ita potissimum vicinarum civitatum ruina emergit.

*a l. 38. s. 5. D.
de V. O.*

At quid iniquius, quàm *adversam alterius fortunam & casam spectare?* Quid homine Christiano indignius, quàm aliena frui calamitate? Hoc pacto nihilominus

b Liv. dec. 1. li. 1

Roma crescit Albæ raris duplicaturq; civium numerus. Ita Lunæburgum è Bardovici ruderibus suum splendorem mutuatur. Sic Amstelodamo Anuterpensium calamitas in lucrum cedit. Nec hic mos usque adeò naturæ inimicus videtur. Hortulanos cernimus ramos & surculos amputantes, ne arbori succus subtrahatur. Sic vicinis vires interdum excidenda sunt, ut altius surgat tua respublica. Tardis tamen pedibus ad hunc modum defleat Princeps, nec nisi occasione aliqua oblata. Nam promiscuè aliorum saluti velut è specula insidiari, ut rectè rationi, ita & regnativa prudentiæ est contrarium.

*Interdum intra
terminos coer-
cet.*

c Tac. 15. ann.

d Tac. 1. ann.

e Curt lib. 4.

f Flor. lib. 3. c.

g 12.

Etsi verò de alienis certare regia laus est, sua retinere, privata domus. c Adeoque rempub. limites extendere jubeat ratio status: quandoque tamen prævalebit D. Augusti consilium coercendi intra terminos imperii, & eadem ratione status subnixum. Periculosum enim est prægrave Imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne ut navigia, quæ modum excedant, regi nequeant? Ideoque rectè Florus: Nescio an satius fuerit populo Rom. Sicilia & Africa contentum fuisse, aut his etiam ipsis carere, dominantem in Italia sua, quàm eò magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur. *f* Huc spectat illud Salustii: Saepè jam audivi, quæ reges, quæ civitates per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant. Præterea facilius est vincere, quàm

quàm tueri: a & difficilius provincias obtinere, quàm facere. b Divus Augustus utinam tanti non putasset Germaniam vincere; magis turpiter amissa est, quàm gloriose acquisita. c Roma de toto quidem terrarum orbe triumphos egit; sed quæ genstam fera, immanis aut barbara fuit, quæ non iuas plumas ierit repetitum? Concludo itaque cum Livio: Quanto rerum minus est, tanto minus est cupiditati. Divitiae avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendiq; omnia invehunt. d

Et hæc quidem beatae pacis tempus concernunt, quæ hæcenus rudi penicillo delineavimus. Plura notatu digniora sunt obvia, sed in arcana Principum temerario ausu irrumperere, homini de schola fas nō est, citra curiositatis labem & poenam.

Inter armorum strepitum, inquit obat Marius, legum vox audiri non potest. e auditur tamen RATIO STATUS. Militares poenæ parū a crudelitate abeunt, ita aspero & abscisso castigationis genere gaudet disciplina. Unius horula quietē capite luere: fortitudinē cōtra mandatū ducis exercitā necesse mereri: ob aliorum turbas fortuna a lea subire, nunquid rigidum satis est ac prorsus iniquum?

Audieris Galbæ milites, qui scelera, non remedia hæc vocaverint. dum falsis nominibus severitatem pro severitate, supplicia & contumelias disciplinam appellari putant. f Docet tamen nostra RATIO, ut quandoq; remedium severitate quaeratur, quod sit salubre & misericordia melius. g Quippe cum in bello non gravius peccetur, quam malis consultis. h Videmus medicos graviores morbos asperis remediis curare: & gubernator, ubi naufragium timet, quicquid servari potest, jactura redimit. i Exinde Manlius filium etiam re bene gesta securi percussit, quia contra edictum patris hostem fuderat. Præstat, inquit, me forti filio, quàm disciplina carere rempublicam. k Quo collineant illa. J Cui verba: Romanis parentibus antiquior fuit castrosum disciplina, quàm liberorum caritas. Qui ita? Militaris

a Curt. lib. 4.

b Flor. lib. 4. c.

12.

c Flor. lib. 4. c.

12.

d Lib. de c. 1.

lib. 1.

e Val. Max. lib.

5. c. 2.

Etiam belli tempore viget ratio status.

f Tac. 1. hist.

g Tac. 13. ann.

h Tac. 1. annal.

i Curt. lib. 5.

k Lib. de an. lib.

8.

Val. Max. lib.
2. cap. 7.

Curt. lib. 7.

c. lib. 5.
Usum excipit
abusus.

nimirum disciplina precipuum decus est ac stabilimentum imperii, in
cujus sinu ac tutela beata pacis serenus status acquiescit. Et arma ubi a
recto tenore licentiâ militum desciverunt, oppressura sunt, nisi oppri-
mantur. Manliana iccirco imperia; Appii decimatio; Cor-
bulonis severitas hac status ratione nituntur, nequaquam in
favilla nomen abeant. **Et** hactenus quidem dominantium libertati su-
mus velificati, quæ sincera diligentia publicum com-
modum procurat. Verum quemadmodum ardenti-
orem sitim primus aquæ haustus non refinguit, sed
provocat magis magisque: ita Principes nonnulli a-
quam habent intercutem & arent perpetua siti. Ipsa
satietate famem parant, & quò plura habent, acrius que non sunt lici-
ta, capiunt. Quo de prudenter Dionysius Halicarnasæ-
us disserit verbis usui nostro ad commodatis. Non pos-
sunt inquit, expleri aliquorum cupidines, si potiantur, quibus libet; sed
mox alia majora concupiscunt. In explebiles quippe ac infinite sunt
hominum cupiditates. Quarum principis resistendum est, dum ad hoc
sunt invalide, non quum magnis ac validis adminiculis convelli neque-
unt. nam gravius irascuntur cuncti, si semel concessis preventur, quum
si speratis frustentur. Hactenus Dionysius Halicarnasæ-
us. Ne itaque & nobis intemptiva licentia liber-
tatis specie imponat, fuci ejus, quibus ornari solita est,
dissipandi sunt, & ostendendæ maculæ, quibus vultus
distinguitur. Quas primo intuitu advertunt illi, qui
principum vitam moresque ad speculum aliquod stu-
diosè examinant. Principes hic intelligo, non tana-
rum, qui omne fas exuerunt sed etiam, qui cetera bo-
ni, licentiæ vela interdum pandunt, & adfectuum im-
perio sunt obnoxii. Speculum a hoc est scriptura mu-
tuabimur, divinitus inspirata. Ad quod tamen & pa-
gani suos mores composuerunt, ductum sc. naturalium
notitiarum secuti. **Q U O D C U N Q U E** ergo **V E L**

cultus

cultui divino adversatur, Vel legem univer-
saliorem impugnat, ad illud excusandum
frustra obtentui sumitur Ratio status. Om-
nes etenim in Dei nomen & obsequium juravimus, qui
scepra eodem jure censer, quo ligones. Quæ nunc
subjicio exempla, lucem aliquam huic regulæ inferre
possunt.

Nihil Principem præsertim novum æquè in tuto
collocat, quam majestatis ac auctoritatis opinio. Unde
alius publico conspectui se subtraxit, cum major è longin-
quo majestatis reverentia. *a* Alius aliam ingressus est viam,
ad eundem scopum directam. Male autem Plutar-
chus extremam Alexandri ambitionem hoc prætextu
velat. Constat, in quantam superbiæ rex ille incide-
rit, nec diis, quibus se exæquabat, nec hominibus, quibus se eximiebat,
parem. *b* Jovis etenim filium non dici modo, sed & credi voluit, tanquam
perinde animis imperare possent ac linguis. *c* Philotam, Parmenio-
nem, Clytum, ni fallor, sustulit negatus iste honor, &
exprobrata gloriæ invidia.

Hinc scite Demas ad Athenienses, utrum Alexan-
dro divinum honorem decernerent dubios: Videte,
inquit, ne vobis de cæli custodia sollicitis, terram Alexander eripiat.
Plutarchi tamen patrocinium promereri potuit ista
regis ambitio, illum scilicet non inani persuasione eo delatum, sed ut
divinitatis opinione alios sibi redderet obnoxios. Perfas cæteros-
que Barbaros facile jugum potius se exentere, ni metu
numinis fuissent concepti. At esto! Ideone a. cœlum
vanis cogitationibus petere licet, ut aliis terrorem
incutias? Ideone honos soli Deo facer mortaliū
commercio inquinandus est, ut statum reipublicæ
vacillantem obfirmes? Imo Alexander tali appella-
tione

Regula

a Tac. 1. anno

Primus prætex-

ius.

In Curt. lib. 6.

b Curt. lib. 8.

c Val. Max. lib.

7 cap. 2.

tione famam suam potius corrumpit, quam intendit. Scilicet, qui vanam gloriam captat, veram quoque ita perditum. Rectius Tiberius acerbe eos increpuit, qui divinas

a Tac. 2. Ann.

occupationes dominumq; dixerant. b

Nullus dubito, quin omnes execrentur illam animi impotentiam, quæ in divini honoris societatem irrumperere voluit. Sed facilius ignoscendum forte Alexandro, homini utpote Ethnico, et densis tenebris immerso. Quid si & in Christianorum cætu quidam ita spiritus extulerint, ut partem divini imperii ausint capessere? Piè profectò Stephanus Bathor Polonorum rex: Deum tria sibi reservasse, creare aliquid ex nihilo, scire futura et dominari conscientis. Quod conscientiarum dominium jampridem ad se rapuit Vaticanus Præsul & Hispaniarum monarcha. Quot millia rogo, aqua, laqueo, rota, ferro consumpta accepimus, quia nomen fanaticæ superstitioni dare noluerant. *At illi à servorum specie differunt, qui duorum triumve opinionibus in causa salutis subscribere coguntur, ut prima syllaba sup vel suppe salva sit. b* Ut tamè causa hæc facilius Patronos inveniret, duplici fuce eam ornarunt, nescio, an deturpârunt. Alter est, dum divina iracundiæ ministros se jactitant, ad hæreses vi extirpandas cælitus demissos. Alterum à RATIONE STATUS petunt, qui stante religionum discrimine salvus stare nequeat. Germaniam mutuis vulneribus penè cōfectam ob religionis dissidium. Galliam quoq; propterea in diversas partes distractam, in propria viscera adegisse gladios. Hic prætextus ex impuro apostatæ cujdam pectore tandè illam vocem elicuit, qua *Principum quoq; cunas jubet violare, dummodo sublato religionum schismate respub. adsera-*

*b Dur. de Pas-
cul, max: auli-
eo. pol. 67.*

*Prætextus se-
cundus.*

tus

tur incolumis. Egregium verò Herodis discipulum,
aut, si tunc exstitisset, præceptorem, qui regni incolu-
mitatē infanticidio mercatur! Prætextus hic est, fucus
est, auditores, & larva, quam ostentat, non genuina
regnativæ prudentiæ facies. Illudat ille hominibus, ut
velit, nequaquam divinam vindictam suis imposturis
cludet aut elidet. Ac hi asperius suorum dogmatum
progressum urgent obtentu rationis status.

Sunt alii, qui eodem prætextu usi, veritati nun-
tium mittunt, ac modò in hæc, modò in illa castra
transfugiunt. Et qui altissimas in veritate radices
egisse videbantur, levibus calamitatum flabris agita-
ti, loco cedunt. Ne videlicet constans orthodoxiæ
adversio publicum statum convellat. Quasi v. exiguum
hoc lucrum tam ingentem jacturam exæquet. Ne
tamen absque autore peccent, ad Naemanis Syrii e-
xemplum provocant. Hic & lepra & idolo latria sub-
lata, quærebat ex propheta, utrumnè propitium ex-
spectare posset Deum, si ad idola regis sui provolutus,
Iehovæ tacitis precibus supplicaret. Respondit divi-
nus vates: Abi in pace. Verùm hoc verbo non simu-
lationis usum sacris immiscuit, sed juxta saniorum
Theologorum tradita, aliam mentem ipsi à Deo vovit.

*Prætextus ser-
tius.*

*lib. 2. reg. 6. 5.
vers. 19.*

A cultu divino ad leges sacras pergo, quæ non
certo ordini, sed universo mundo sunt promulgatæ.

Meminisse vos, reor, auditores, non aliud discordantis re-
gni remedium esse, quam ut ab uno regatur. Quare monet status ra-
tio, ut major natu cæteros supergrediatur ut ætate,
ita & potentia. Machiavellus ulterius progreditur,
& Cambyfi, Romulo, Neroni, Domitiano, Caracal-
læ fratricidii postulatis salutarem pollicetur literam.

b Tac. 1. Ann.

*Prætextus
quartus.*

*Sanguinem ejusmodi in reipublicæ usum fun-
di, ne*

E

*di, ne fratrum discordia in publicas clades de-
generent.*

O hominis impudentiam! O os impurum & im-
pium! Tantane tibi in divinam legem autoritas, qua
caedes gladio ultore persequitur? Siccinè homicidium,
perfidiam aliaque scelera verae prudentiae cortice ob-
ducere decet? Sanctius noster Papinianus, quantumvis
Ethnicus: *Facilius est parricidium committere, quam defendere.*
Nec ulla hic status ratio tanta immanitati potest pa-
trocinari. Non decet cum Tiberio & aliis prima
regni initia caede fratrum imbuere, ut solio potiaris
solus. Perverfa, non vera Monarchiae aemulatio Tur-
cos fascinat, ut fratribus gulas contorto laqueo fran-
gant. Imò nec illa Britannorum consuetudo hujus
prudentiae involueris regi potest, ut maximus natu ex
asse sit heres, coeteris omnino exclusis. Splendori fa-
miliarum ita consulendum ajunt. Insignem vero
splendorem a comedis, histrionibus, Parasitis spera-
veris, quos indices producit Anglia. In horum enim
numeros se referunt illi, qui opib. avitis destituti, a-
nimum honestis artibus non imbuerunt.

In sacro Codice lex sanguine scripta est, quae in ali-
enarum nuptiarum temeratores suum vigorem strin-
git. Hujus autoritas quot, quae so, machinis convellit
tur? Alius ita humanitatis famam ambit & egregiae
benivolentiae laudem. Alius cum Julio Cesare fur-
tivo adulterorum amore oblectatur, ut de certa prole
principatui prospiciat. Alius Octavii Augusti velo il-
licitos ejusmodi congressus obnubit. Ita nimirum sibi
intimas aliorum cogitationes patere, si liber ad ux-
ores pateat aditus. Arcanorum scrutationem Princi-
pi maxi-

pi maximè esse necessariam. Neglecta illa, Principem
in acie tutiorem fore, quàm in theatro, hostiumque
manus faciliùs evitaturum, quàm suorum. Verùm
frustra flagitiis suis exinde impunitatem spondent,
aut immunitatem. Quòd si proli procreandæ studeas,
si in aliorum secreta inquirere libet: alia patet via ad
eandem, quam intendis metam. Non adulteriis fre-
quentari debet respublica, sed licitis matrimoniis.

Quam adulteriorum charybdin dum evitare cu-
pit Pontifex, in scyllam incidit & voraginem lupana-
rium. Quorum usum ratione status & ipse fulcit,
cum ita tori adulteris careant, & redivis meretriciis
ararium reficiatur. Novimus equidem, quòd & apud Ba-
bylonias comitas habita fuerit vulgati corporis vilitas. Novimus,
quòd olim apud adiles Rom. mulieres professæ fuerint stupri licentiam.
Satis enim pœnarum adversus impudicis in ipsa professione flagitiū cre-
debant. Non sine rubore ejusdem licentiæ vestigia in
jure nostro civili alias purissimo observamus. Sed jam
pridem intercessit non Rom. tribunus plebis, sed ipse
Deus, & libidines istas stygiis paludibus immerfit. Ra-
tio insuper status illi citos coitus maxime aversatur.
Quæstum quidè jactitant, sed qui in publicum questum ac
luctum degenerat. Juventus exhauritur, nervis opibusque
libidini impensis. Succedit tristes morborum facies,
qui stragè edunt altissimis lacrimis deplorandâ. Tan-
dem Deus suas quoque fasces expedit, qui non civita-
tes, sed districtus, imò integras gentes ob libidinum
confusionem exitio supremo devovit. Fruantur itaque
illi suis voluptatum calamitatibus: nos Christianæ rei-
pub. nullos, nisi puros & sacros, amores precamur.

Emensi tandem sumus nostrum iter, auditores eminentissi-
mi, non ipsum prudentiæ regnative Oceanum.

Scip. Ambr. lib. 12.
disc. 1.

E 4

Multos

Multos licet scopulos prætervecti, naviculam rationis
status à tot fluctuum injuriis vindicatam, Principibus reddim9.
Deprehendimus, fundamenta, fulera & incrementa rerump.
ruinæ esse proxima, nisi in medium hæc prudentia regnativa
consulat. Regnum plurium scepra sustinere nequit? Docet
nostra ratio, *unum imperii corpus unig animo regendum*. Faminarum
lubrica consilia metuit. Monet, ut scæminæ in gynæceo la-
nam distribuant, non jus & æquum. Multorum in suffragiis
dissensum extimescit? Calculum itaque vult a paucis poni.
Tyranni rejectio rempublicam videtur everfura? Præstat ergo,
ut paucorum innocuus cruor sine ultore cadat, quam tota re-
gni moles. Hæc ipsa ratio legibus iniquis vigorem conciliat,
ne perpetua mutatio pariat contemptum. Hæc infidias Prin-
cipi structas graviori, virtutis nimix tacitam vim leviori pena
coercet. Sexcenta possent produci pharmaca, quibus agræ rei-
publicæ succurrit hæc ratio. Eant nunc & frontem perfri-
cent improbi & imperiti Censores, qui frivolis querelis inte-
gram Principum prudentiam onerant. Discant illi, Principum
arcana rimari nefas esse plebi, admirari tantum concessum.
Lingux suæ viperinæ aculeos in eos potius exserant, quos à
regia hac via ad trivium abripit licentiæ studium. Horum impro-
bis conatibus insultent, ab his prudentiæ politicæ specimina
severius exigant. Quemadmodum autem generosus equus
ad ignobilem canis latratum pedem non retrahit, sed eundem
tenet cursum. Ita Princeps magnanimus inter tot calumni-
arum procellas, tot querelarum fluctus, tot imprecationum
vortices, clavum reipublicæ recte tenebit imperterritus. Non
ad vulgi nutum, sed rationis hujus ductum; non ad imperito-
rum placitum, sed prudentiæ cynosuram navim suam dirige-
re doctus. Ita regnum tranquillus portus tandem excipiet, gu-
bernatores vero gloria, quæ factorum legem nescit, &
tum maxime viget, cum extincti desiderii
um perennis memoria illustrat.


DIXI.

Nh 122

ULB Halle

3


002 714 272




st

1017







VX. 18

DISCURSUS POLITICUS

De
RATIONE STATUS

Seu
REGNATIVA PRUDENTIA,

In
Illustri Soraborum Gymnasio,
Permissu Superiorum

recitatus

a

MARTINO MILAGIO
Misnico J. U. C.

d. 11. Maji

ANNO CHRISTI

1624.

Tacit. lib. 14. annal.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod cō-
tra singulos publica utilitate rependitur.

SERVESTÆ

Impressus per Zachariam Dörfferum.

M. DC. XXIV.

